



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Qvæstio I. An aurum hac arte verum conficiatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

quentibus. Illud quoque attendendum, ne ipsis Angelorum nominibus veris vtentes, ea malis Angelis accommodarint. cur non hoc auferant, qui ausi sic abuti nominibus Dei? audi Procopium in Leuit, contra quosdam curiosos hoc vtentes prætextu his verbis agentem. *Attramen (obijciunt quidam) intocant Zabaoth. Quid tum? impie hoc faciunt. Nam illam appellationem non Deo, sed demonibus tribuunt, & plerumque illi demoniaci vsurpant nomina diuina, dum ea imponunt demonibus, quorum ambitioni seruiunt. hoc fit in precibus Magorum, quibus inserta magna (sic vocant) nomina.*

CAPVT V.

Ars aurifactoria, quam Alchimiã nuncupant, ad quam magi & speciem sit referenda?



On potest sufficienter huic quæstioni responderi, nisi prius constet, quo se vsque vires eius extendant. quare quatuor sunt discutienda. primò, an ars ista finem suum consequatur? secundo habendane in numero artium liberalium? tertio ad quam Magiã speciem pertineat? quarto licita sit, an illicita?

QVÆSTIO I.

An aurum hac arte verum conficiatur?



VO quæstio hæc completur, quid naturæ ope fieri queat, & quid fieri soleat? quorum non eadem ratio est: prius quam decidamus quæstionem quædam de nomine & origine sunt præmittenda.

SECTIO I.

Quid sit Alchimiã & quando inuenta?

A Nomen Arabicum esse volunt, viri docti: & id iudicare nomini præfixum, *Al*, vt in *Almanach*, & *Almagestum*, & similibus, Mixto barbarum ergo vocabulum fuerit, ex Arabico *al*, & Græco, *χλω* seu *χλω*, quod idem ac *fundo*, alij Græcam planè vocem censent, ex quibus est Ioannes Chrylipp. Fanianus, qui deducit, *παρὰ τὴν χυμείαν* & *ἀπὸ* à sale & fusione. *b* Sed

B huic Græci scriptores repugnant, qui plerumque scribunt *χημείαν*: *c* non *χυμείαν*. Sed quid *χημεία* significat? quidam ex Plutarcho d tradunt Ægyptum sacrâ linguâ sacerdotibus vocari *Chemiam*: & inde suspicantur, vocari *Chemiam*, quasi Ægyptiam: videlicet quia primi mortalium Ægyptij illam à Mizraimo Chami filio acceperint, ab Ægyptijs Arabes didicerint, &

C articulum illum suum *Al*, addiderint; ab Arabibus, Europæi acceperint & nomen & artem, vt & reliquam ferè medicinam & philosophiam Græcancam. Nimis isti benigni sunt in Arabes. Nomen enim notum Romanis fuit antequàm vlli noti philosophi vel docti inter Arabes, & quo Arabia tempore adhuc Christiana. Inuenias illud apud Iulium Firmicum Latinum *e* scriptorem, qui tempore vixit Constantini Magni. Apud Ægyptios quidem hæc ars in vsu etiam Diocletiani tempore videtur fuisse, si Suidæ credimus, *f* & ab ijs fortè Romani acceperunt. Verù illud de *Chemiam* merum est commentum: Ægyptus enim non *Chemiam*, sed *Chammia* picta à Chamo: sic enim in Psalmis legimus; *in tabernaculo Cham*, *g* Ægyptiorum, & postea; *h terra Cham*, vocatur ipsa Ægyptus. hoc ergo nomen sacerdotes, vt testimonium antiquitatis suæ asseruarunt, vulgo *Misraim* dicebatur Ægyptus; vnde & hodie ad

D

E

a N. comment, in Manil.

b Dialogo de Chryloppia. *c* Cedrenus in Anal. Suid. mox citand. *d* li. de Orit. & Iud.

e lib. 3. in Lunæ decretis.

f in Dioclet.

g Psal. 78. 57. *h* Pl. 105. 23.

huc Turca & Arabes vocant, *Masra*. Quare si Arabes voluissent ab Ægypto hanc artē denominare: & addere suum illud; *Al*, vocassent *Almasram*. Quid ergo suspicor, vt multa Arabum vocabula, esse Hebræum illud, & quidem solidè. nec aliud significare quam artem fusoriam siue liquatoriam. Etenim Hebræis, *Alchim*, i significat itinera siue fluxus. ab *Alib*, quod significat facere ambulare seu fluere. & Vnde ars liquans seu fundens metalla: abiecta litterula, ab *Alchim*, fit *Alchimia*, facillima formatione. Quid enim est Alchimia, quam pyrotechnica siue igniaria ars, resolutoria, & purificatoria metallorum? quæ vt *Chymia* species quædam est: sic etiam aurifactoria, siue Chrysopeia; species quædam est Alchimia, quæ in extrahendo siue separando, & in congregando siue coagulando ex alijs metallis auro, tota occupatur: vnde non malè *Spagiricam* vocant nonnulli, *παρά τὸ πᾶν ἔχει ἀγέλπην*, à legregando & congregando. Ad hanc quidam retulit illum Manilij versum. l

ה'ל'כ'י'מ
Iob. 29. 6
ה'ל'כ'י'מ
Iob. 24.
10.

4. Alfr.

Materiamq; manu certa duplicariet arte:

& quia de Alchimis dictum, per errorem, putauit, ideo (quæ est Critica audacia) contra veterum codicum fidem, eum tollendum, vt spurium iudicauit. vtrumque male. nam & Manilij versiculus est, & non de Chrysopeis, sed de bractearijs accipiendus, qui malleando aurum, in bracteas seu foliola tenuissima diducunt & dilatant, & sic superficiem adeò dilatatam quasi duplicant. Alchimice certè non tam duplicant manu, quàm igne.

Non statui de tota Chymicâ agere; quam ego artem, qua medicinæ administratur, sanè laudo, & veneror; vt physiologiæ scætum præstantissimum,

A i uentricæ auri potabilis, rei nõ minùs utilis ad sanandum; quàm ad alendù, ac quoad fieri potest, vitam prorogandâ; spiritus enim subtilissimos ex metallis, gemis, plantisque educens; quo subtiliora, hoc puriora; & quo puriora, hoc efficaciora remedia præbet; metalla depurat, segregat, perficit: lapides conflat, aquâ elicit, ignem vegetat, & in igne vegetato, ac quasi perennato, specimen edit artis & efficacitatis suæ, in humanâ vitâ propaganda. Mihi quidem dubiũ non est liquorem illũ Olibij Maximi, cuius beneficio lucerna multis sæculis conseruata fuit ardens, Chymicũ fuisse: de quo Bernardus Scardeonus, in scribit Patauij ante aliquot años, vrnã fictilem effossam his inscriptã versibus.

PLOTONI sacrum munus ne attingite fures,

Ignotum est vobis hoc quod in orbelatet.

Namq; elementa graui clausit digesta labore

Vase sub hoc modico Maximus Olibus.

Adsit secundo custos sibi copia cornu,

Ne pretium tami depereat laticis.

Plutoni Deo diuiciarum dedicauit hoc lux artis specimen homo gentilis, diuitias illi acceptas ferens, intra maiorem illam vrnã minor alia reperta: in hac, duæ ampullæ adfabrè laboratæ, argentea vna, aurea altera: purissimo quodã ambæ liquore plenæ; quo lucerna multũ iam sæculis ardens conseruata censebatur.

D De solã Chrysopeia statui dicere: quæ vel ex adpersis pauculi pulueris aurei ramentis, aurum multiplicat, vel ex non auro verum aurum producit: nam quæ ex auro liquato tantumdem vel minùs auri producit, sed purgatius; ea nomen aurifactoriæ non meretur. Chrysopeia igitur originem quidam nobis valdè faciunt antiquã, qui præcla-

in Hist.
Patauina.

ro Adami titulo libellum quendā insignē obtrudunt: vt & alij Moyses, & Mariæ sororis eius, & Salomonis, & Hermetis Trismegisti, & Aristotelis, & Pythagoræ orū quorundam libros venditant: hæc enim omnia pro imposturis habenda duxerim, & ociosorū hominū somnijs. Quid? an, quia ab Adamo prima scientiarum principia, idcirco & de hac ille arte scripsit, quæ de nullâ cōstat scripsisse? An, quia Moyses in omni Ægyptiorū sapientia excellens, idcirco & ipse, & soror eius (miror Aaronem non additū & Beseleel) animū ad alchimiam excolendā adiecere? An, quia Cabbalistæ nugātur Chamum in arca Noacho patri suo *libros de Magia naturali* furatū, quos Misraimo filio suo donauerit; idcirco inter illos etiā Chymici libri fuere? sed Chamū scimus non philosophiæ naturalis, verū Magiæ Dæmonicæ fuisse propagatorem. *Hermetis Trismegisti non pauci supersunt libri; quis quæso vel color tenuis in illis huius artis? eruēt opinor, qui Phaetontæo ausu eo detorsērunt; quæ de Turri Babel, & quæ de terra promissionis, SS. commemorauit & quæ Salomon in Ecclesiaste de meretrice: mores eius depingens, Spiritu sancto afflatus, scripsit, illi ad Chymices mysteria defluerūt: qui auli diuitias, quas œconomicæ prudentiæ, & nauigationi in Ophir, disertè acceptas refert Regum Historia; Salomonis alchimie adiudicarunt. In quos (vt mitissimè agam) nihil dicam aliud, quàm quod fatuis solemus, sanam mentem ijs optandam. Minore longè periculo peccant, Aimar. Ranconetus & Cardanus. qui Sibyllæ vaticinium illud;*
ἐν τῷ γράμματι ἔχω τετρασύλλαβον ἔμινοειμε. &c.
 ad Arsenicū, admirādī lapidis materiā trāstulerūt; quasi quatuor syllabarū & nouē litterarū vox alia nulla foret. Itē

A qui Pandoræ poculū hoc esse contendunt, ab Hesiodo notatū: sed hi plures Epimetheos, solā spe reliqua, quā Prometheos, ex hoc grege fateantur oportet. Nec minūs illi Iuues, qui Sisyphiū saxū extollunt, & propter huius lapidis inuentionē meruisse nomen, quasi diuina sapientis autumant: propter promiscuā in vulgus beneficij communicationē, ad inferos detrusū semper reuolubilis saxi subuectione dānatū. homines præparcē auari. Liberaliores alij cum Suida Colchis auratam pellem auertūt. illud enim *ἕρας τὸ χρυσόμαλλον*, Iasonis; libros fuisse in membranarum arietinis descriptos, artis alchimicæ doctrinam aurifactoriam continentis. Addunt alij, hoc illud aureū fuisse femur, *χρυσὸν μύρον*, iuxta Laert. lib. 8. Ælian. var. hist. lib. 2. Lucian. & alios. siue (vt corrigūt alij) *χρυσὸν ῥόδον*, aureum flumen, à Pythagora in Olympijs ostensum, quod tamen Origenes eburneum appellauit lib. 6. contra Celsum. Hoc illud esse apud Hippocratem mirabile & in primis sacrum terræ opus; ex quo animantia, plantæ, alimenta, pharmaca, fortuna, & ipse Plutus profluant. *o* Hinc apparet quàm vetustam isti originem arti arcessant. Equidem opinor vetustam: sed certa testimonia ante æuum Caligulæ non comperio. Nam quæ dicta, mera sunt coniectanea nec magis certum, quod quidam probant ex Esdr. lib. 4. ca. 8. v. 2. *Quomodo autem interrogabis terram & dicet tibi: quomam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile, partium autem puluerem vnde aurum fit.*) Hoc enim perspicuè non ad artem fusoriam, sed ad naturales metalli ex terræ puluere productionē potest referri. Si tamen quis contenderet, ad materiam auri trāsmutatoriam pertinere; is sciat, neque infallibili se testimonio niti, quia liber iste

Syph,
quasi
σίσσο-
ρ.

o Hippo-
cra. in epi-
stol. de
Cracea.

91. 33. hist
cap. 4.

apocryphus est; neque claro loco & aperto antiquitatem artis se probare. Capisse sub Caligula docet Plinius, quod rationem ex auripigmento aurum liquandi, sed mox desisse. Foditur hoc in Syria auri colore, fragili lapidum specularium modo. Vim eius magnam Caligula, auri quam sanguinis non minus avidus excoqui iussit: & plane fluxit aurum excellens, sed ita parvi poderis, ut detrimentum sentiret. nec postea tentatum ab ullo. Diuturnum postea scriptoribus silentium fuit. Vique ad Diocletianum siluere. Nam Suidas auctor est, cum eo regnante Aegyptij res nouas molirentur, eade multorum illustrium virorum in ipso exordio hoc incendium sopitum fuisse: & conquistatum ibi veterum de argenti & auri fusione scripta, omnia tyranni iussu flammis tradita, ne ex illa arte ditati Aegyptij, pecunijs freti, Romanis in posterum rebellarent. Aliquot annis postea Zozyms Græcus scriptor vixit, cuius de arte sacrâ, & Chrysopeia libri M. Scripti asseruantur in Regis Christianissimi Bibliothecâ Fôtisbelli: ubi & Blémida liber de eadem Chrysopeia dicitur extare. Hic ille Nicephorus Blemmidas est, qui sub Ducâ Imp. multa præclara philosophiæ monimenta edidit. Zozyms Græcum antiquiorem, non noui: ille Arabes omnes, qui circumferuntur quo antecedit: fictitium Morienum (Eremitam Romanum fingunt inepti Arabicè scribentem) & verum Geber, siue Gebrum Arabem: qui non inuentor artis, ut putant Fallopius & Eraustus: sed cultor & ornator præcipuus. Hæc de origine habui dicenda.

SECTIO II.

De artis alchimicæ in auro faciendo
efficacitate.

r Suidas
in Diocle-
tiano,

A  Irum quam hæc in contrariū funis contentiosus trahatur. cultores alchimicæ affirmatiuam adeo tuentur. ut & perfectius aurum suis se fornaculis fouere, & educere, quam natura solita, contendant: ofores contra Chymicorum, omnia huiusmodi, ut præstigias, ludibria, & meros iactatorum bombos opinantur. Equidem puto inter hæc extrema, ut sit, mediâ viâ tutissimè incedi. Videamus breuiter, quid pro vtraque parte disputari queat.

B Tres inuenio sententias. prima est, non posse aurum verum sic produci. *secunda*, posse aurum quidem quasi verum, sed quod tamen pro vero, nec liceat vendere æquali pretio, quo verum venditur: nec liceat illud in medicinis exhibere. *tertia*, perfectius & purius aurum sic fieri posse, quam quod in terræ visceribus gignitur. Prima sententia est Toftati in *Exod. cap. 7. quæst. 10.* Aegid. Romani, *quodlib. 3. q. 8.* (qui Auicennam quoque pro se citat, sed malè. nam Auicen. verè censuit contrarium, & ex professo de hac arte icripit) negarunt etiam Auerr. in *lib. 1. de Generat. Aponensis, differ. 200.* Sed & implet Chymicus Paracelsus *lib. de philosoph.* & videtur id voluisse Bernardin. Gomerius à Medis docto & salito opere de sale lib. 2. a. 20. *secunda* editionis fol. 168.

C Secunda sententia (ut opinor) verè fuit D. Thomæ. nam licet, ubi noluit quæstionem decidere, ibi ex hypothesi tantum locutus fuerit: atamen ubi absolute & decisiuè locutus, ibi aperte & clare hanc sententiam tenuit: produci posse aurum, quoad externas qualitates, sed quod ad intrinsecam auri perfectionem non pertingat: *b* quod etiam Caretano, *c* & reliquis Thomistis placuit postea citandis.

D Tertia sententia est omnium Chymicorum

22. q. 77
a. 1. ad. 1.

b in 2. sen
d. 7. q. 3.
a. 1.
ead d. a. 2

micorum, & præterea Timonis in li. 3. Meteor. q. vlt. Antonij Mirandulani de singula. certam. l. 10. Marcelli Palingenij Cardani, Laciniij, & aliorum, quã accuratè tuetur And. Libavius Syntaxi 2. lib. 1. singularium.

Quartam his sententiam possemus addere Pyrrhoniã, & Academicã Dubitantium; qui fatentur sibi non fati liquere; quam puto verè communiorem esse hominum huius ætatis. Ex nostris illam defendere Benedic. Pererius, & Gregorius à Valencia; e nam de bonitate & perfectione alchimici auri dubitant; & suspicantur, nunquã ab vilo verum & perfectum aurũ fuisse productum; & Valencia quoque indicat studio & arte humanã vel nõ posse, vel vix fieri posse, Quid dicemus? amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.

Axiõ. I. Nullis idoneis argumentis contrasentientes convincunt aurum verum per alchimiam fieri non posse. Ad probationem huius conclusionis sufficit onus probandi transferre in aduersarium: quia est conclusio negatiua. & adfirmanti esse impossibile; incumbit onus ostendendi, cur id sit impossibile, eò quod is contendat, se id idoneis argumentis posse cõvincere; quod nos negam. Veruntamẽ sic potest cõclusio probari; neque ex parte materiæ seu subiecti, neq; ex parte modi repugnat naturæ talis metamorphosis. Nõ ex parte materiæ, nam illa est alterari, & corrumpi apta, & perducieriam apta ad formam præstantiorem, & est capax formæ introducendæ. Non ex parte modi: quia modus est, per decoctionem naturalem ignis, qui decoctionem naturalem caloris naturalis proximè imitatur. Quid ergo desit? aut si quid horum, ostendatur.

Ostendere conatur sequentibus ar-

A gumentis, quæ sigillatim diluemus adfusa solutione. Primò argumentantur ab artis ipsius incertitudine & dissensione artificum, quia chymici inter se nec conueniunt in modo loquendi, nec in modo operandi, nec de materia aut nomine sui lapidis. Conueniunt, beneficio lapidis hanc transformationem tribuendam; sed hunc ipsum lapidem, quo appellant nomine, non conueniunt. Longũ sit omnia Mercurini, Treuisani, Faniani, Taliensis, Rosarij, & aliorum nomina congerere, quæ sunt significationis planè diuersæ. Ex paucis cætera possunt diiudicare, vocant $\chi\epsilon\sigma\sigma\alpha\pi\epsilon\rho\mu\delta\upsilon\upsilon$ aquam viam, aquam vitæ, aquam siccam, lignum vitæ, sanguinem humanum, lac virginis, Mercurium philosophorum, draconem, coruum, laton, elixir, medicinam morborum omnium, id de quo bibit non moritur, & similia partim ridicula, partim pugnantia, partim irreligiosa. Modos operandi diuersissimos comminiscuntur, & de eo inter se digladiantur; cum Brachescò certat Tauladanus, Villanouanum impugnat Treuisanus, alij alios, & inuicem se fatuos ignorantẽsque nuncupant. Sed de lapidis materia fortè saltem consentiunt; nihil minus sunt, qui ferri scoriam, sunt qui salem, alumen, magnesiã, cadmiã, calcem, & antenicum exposcant: sunt qui abstrahunt, & distillant, capillos, ouorum putredinem, metalluum fluorem, vel humanum sanguinem. Respondeo, tam diuersis nominibus eandem rem significari, sed his vltis exploros scientiæ occultandæ causã, quam non volere passim intelligi. licuit sanè Egyptijs symbola sua adhibere. licuit poetis per metaphoras & fabulas sapientiæ principia occultare, licuit Aristoteli se dictorum obscuritate, vt sepius solet, a tramento inuoluere; ipsa sacra littera

in Parabolis loquuntur. cur culpas, si & hi diuersis nominibus lusere? Si quid minus aptè, & feliciter, & piè, ignosce. rem vide, verba despice: nunquam rei veritatem, aut artis efficacitatem, inep-
tia aut infantia docentis potuit exstinguere. Deinde quid mirum hanc quoque artem habere suas compulsationes disidentium; quibus nec philosophiæ pars vlla, nec medicina, nec iurilprudètia nec Scholastica Theologia noscitur carere? Dissensio illa de materia, vel verborum est & nominum, vel sanè fuit, cū ars minus culta & magis incognita: periti, in sulphur & hydrargyrum consentiunt.

Probant postea, naturam metallorū ab ijs ignorari. primo, quia censent illa viuere & nutriri; cū Cardano: vel superioris ordinis animam habere, verum valdè reconditā, cū F. Georgio in Harmon. mundi. 2. quia lapides putant esse reiectamenta siderum (vt Paracelsus) metalla verò adipem & medullam lapidū: & proinde metalla, cæli esse præstantiora excrementa: 3. quia vnicam volunt esse perfectam speciem metalli, nempe aurum; cæteras esse tantūm rude & inchoatum aurum, de quo mox plura. 4. nō habent perfectam auri sui causā efficientem. qui soli calori efficientiam tribuunt: quo tamen solo non potest auri substantia perfici. Oportet enim, vt sol aquæ substantiam, in tantū calore concoquat & commutet. Figus deinde & ficcitas terræ, faciant aquam condescere. 5. de auri materia valdè discrepant. Gilgil vult esse cinerem ex terra genitum, & aquæ mistum: Bra-
ceschus vitriolum, plerique sulphur, & argentum viuum, nec deest, qui arsenicon addat. qua in re indaganda videntur, vt vmbri, indicium sagæ naris secuti, certum sanè, vt ad ceræ cunabula perducatur: fallax in rerum essentiā

A discernenda. Præterea quomodo possunt mixta resolui in mixtum illud, ex quo proxime generata fuerunt? nonne prius oportet resoluantur in corpora simplicia? igitur si, quod eorum est fundamentū, metalla in sulfur & hydrargyrum resoluuntur, certe hæc duo nequeunt esse propria metallorum materia. Hoc argumentum multas inuoluit quæstiones, quas si velim exactè discutere, non sectionis vnus, sed libri opus præstiterit aboluere, vt hac illis omnia largiamur, nihil aliud consequi, quā alchimicos sic opinantes nō esse veros philosophos, neque causas operationis suæ tenere, nec operari scientificè, sed duntaxat esse nudos flatuarios pyrotechnicos, mechanicos, & non philologos. nullo autem pacto consequitur, probandum quod erat, aurum ab illis confici non posse: non enim gladium non facit faber, quia quæ ferri natura, quæ gladij ad pugnam rotatio vibratioque sit accommodata, nescit: non aquam rosaceam minus perfectam Chymicus elicit, qui cætera adhibet arte requisita, etiam si rotæ essentiam, & vim ignis, & principia distillationis ignoret. Quid igitur, si qui naturam ignoret metalli, segregatione, congelationeque requisita, cæteris quoque omnibus peritè vtatur, minusne ad flatum compositionemque eius, quàm ad alterius, nihil ad operationem effectumque amplius præter causarum cognitionem adijcientis, vis excoctrix ignium est effectura? Intelligentiæ igitur iam ignis particeps, qui vnum inter & alium nouit discrimen. Pone autem aliquem, qui optimè metallorum naturam nouerit, huic certè nihil argumentatio hæc oberit, quoad auri productionem: poterit ergo produci ab aliquo. Sufficerent ista: dicam

tamen

tamen quid de singulis illis censeam. Viuere & nutrirī metalla, vt animam habentia vegetatiuam : id non admodum absurdum est, sed fateor verius, quod Aristoteles censuit, f nec lapides, nec fossilia huiusmodi viuere vel nutrirī : excrecere autem, per adiectionem materiæ, decrecere per subtractionem eiusdem: cū verò Plinius g & alij, dicunt ea concipi, parturire, viuere, senescere, mori, metaphorice tantum loquuntur. sed de hoc plura Scaliger, Fallopiusque. h Volo cum illis liberaliter depacisci. Esto, non viuunt metalla: quid inde? facilius profectò inanimæ rei in aliam inanimam, quã animatã in inanimatã erit trãsmutatio. Paracelsitarum illas locutiones sanè non satis rectas, nec commodas, sed improprias & translaticias, nihil moror: loquuntur illi inquinatè, sentiunt perperam. eos non defendo: de re loquor, non vocabulis. Hoc vnum verissimum puto, neque negari posse, plus humidū pinguis, & si vis plus adiposi esse succi in metallis, quàm in lapidibus ac gemmis. hinc enim metalla ductilia & dilatabilia sunt, quod lapidibus ob ariditatem & siccitatem denegatum. Vnicane species metalli sit, mox videbimus. De auri efficiente causa, considerandum. puto longè plura requiri, vt ex terra, atque vt ita dicam, elementis fere nudis primum corpus mixtum existat & coaguletur: quam requirantur, vt ex mixto iam coagulato & existente aliud conficiatur mixtum, dumtaxat differens perfectione. Auri substantia, ex terræ puluere & aquæ liquore, in venis cavernarum solo calore non potest perfici, sed frigiditas quoque & siccitas requiruntur; postquam verò iam semel metallum coaluit in metalli substantiam, iam ignis solus poterit supplere, quæ ad

A perficiendum commutandumque illud in alterius metalli qualitates erunt necessaria. quia qualitates illæ accidentariæ sunt & quæ actiuitatis igneæ vim non exsuperant. Quod exemplo potest declarari. nam sandaracha naturalis non potest gigni citra frigus illud: sed postquam plumbum semel in terræ visceribus genitum fuit, si illi misceas acetum, cerussam conficies: i vt verò ex cerussa prodeat sandaracha nullam iam opus refrigeratione, sed sufficit sola adustio, vt sandaracha fictitia seu sandyx Syricum nascatur. k Orichalcum quoque sine frigore ex ære, vitri puluere, & calaminaris lapidis tincturâ fit; solaque decoctione & percolatione per ignem indiget: l cū tamen fossitium & naturale, si quod est huiusmodi, etiam frigus illud postulare. Quid, quod & m Plinius, censuit, solo igne lapides in æs fundi, & ferrum gigni? Quid, quod & sola decoctione ferrum fit *σόνουα* Græcorum n seu *Chalamsch* Hebræorum? quod nos hodie chalybem vocamus siue *aciariam*, veteres Latini. *ferrī nucleum*, quia proprio nomine destituebantur, nam chalybs illis idem, quod ferrum in genere. o Neque in his alio frigore opus, quàm cū omnia peregit ignis, vt tunc materia le ad naturale frigus recipere finatur: vel aquæ iniecta citius retriggeretur, & induretur: Porro quam lubdunt de auri materia dissonantiam, obstrepit illa, non obtundit. cedo, quam illi esse volunt? quamcumque dixerunt, ex hac etiam cætera metalla constare phylosophi chymici contendunt: sic facilem fore ad aurum transitum. Sed doctiores conueniunt in vnam sententiam: quam ego quoque sequor, & sic Aristotelem cum his auctoribus conciliari posse puto. Nō agitur nunc de materiã remotissima, quæ

fl. 2. magno, moral

g Pl. li. 36. cap. 18. & 19. Leo Baptist. Albertus l. 2. de a. d. c. 9. h Scalig. exercit. r. Fallopius l. 1. de metallis & fossil.

i Galen. l. 9. de simp. medicam. facul. Pl. l. 34. in fin. Vitruu. l. 7. k Plin. l. 1. c. 6. Actius li. 2. A. mat. in D. osco. li. 5. enar. 63. l. Vide Pl. l. 33. c. 4. & Vannocium l. 1. pyrotechnicæ c. 8. m lib. 26. c. 27. n Arist. lib. 4. Meteor. Vannocius d. l. 1. c. 7. Alb. Mag. li. 2. de lapid. tra. 3. o vide H. er. Magiū l. 2. miscel. c. 8.

est

est materia prima, quam eandem esse nemo addubitat: sed agitur, de materia secunda: quæ iam certis formis est imbuta, hæc rursus est, quædam remotior, & quædam propinquior. non enim statim ab vltima ad primâ hic immediatus est transitus: capiamus ergo exempli gratia, aurum. hoc aurum materiam remotiorem habebit exhalationem quandam humectam vna ex parte (quæ materia liquida à quibusdam vocatur, vel aqua intrinsecus vnctiosa, ab alijs vnctuosum aqueum incorporatum, vel humidum liquidum) ex alia parte habebit terræ portionem crassam & viscosam: sic huic terræ aqua illa pinguis & aërea commista, corporatur in primam, & (vt sic vocem) elementarem auri materiam. hæc materia non est adhuc propria auri materia, sed est materia communis omnium metallorum, & etiam lapidum. etenim si plus habeat ariditatis, deficiente humiditate, fit lapis: si plus habeat pinguedinis humidæ, exit in metallum: & propter copiam huius humidæ, nitidi, puri, ac solidi, splendida adeo ac nitida sunt metalla. Et hæc est sententia Platonis & Aristotelis ac sequacium. p Neque huic sententiæ repugnat (meo iudicio) eorum Chymicorum, qui physica principia norunt & amplectuntur. hoc est non empirici, sed philologi sūt, sententia. Tales enim facile assentiuntur huic remoto principio metallorum omnium. Equidem mihi videtur negari non posse. Quæro enim, num argentum viuum & sulphur sic immediatè ex materia prima sint enata? si adfirmas quæro qua dispositione præcedente hæc potius, quàm alia forma, sit introducta? si negas, immediate prodijisse: quæro quæ præcesserit? non enim omni forma potuit illa materia caruisse. Negandū itaq; id non est: sed vltèrius progre-

diendum, & post hanc materiam communem adeo remotam, quærenda quædam materia propinquior. De hac est omnis disceptatio. Censuerim itaque illam materiam remotam, non subito prætermittis medijs ab extremo ad extremum progredi, &, quod dici solet, per saltum promoueri: sed primo gigni imperfectiora quædam: & sic naturam progredi ad perfectiora. Ex illâ materiâ remotâ primùm gigni sulphur, & argentum viuum siue ὑδραργυρον: istud potissimum coalescere ex humido isto pingui & aëreo (ideo adeo mobile est:) ex terræ vero pinguedine seu viscositate potissimū gigni sulphur. Sulphur illud postea in metalli generatione fūgi vicem viri, ὑδραργυρον vicem femine volunt q Chymici: hoc parum refert, crediderim potius vtrumque agere & pati in inuicem, reactione. Nec conuincit contrarium quorundam obiectio; nec in plerisque fodinis sulphuris, vel argenti viui, inueniri aurum; nec in auri plerisque inueniri sulphur aut argentum viuum. Sufficit enim in quibusdam vestigia horū reperiri, vt pyrotechnici sæpe experti. Et, vt ex his gignuntur, tanquam ex materia; sic in hæc rursus metalla resolui volunt chymici, & hæc resolutionē odore probat, & gustu; se in materiâ resolutâ qualitates sulphuris & argenti viui dictantes inuenire. Quoniam verò hęc agimus de accidentarijs dūtaxat differentijs, quibus hæc inanimata dignoscuntur solis: frustra obijcitur odora canum vis. Nō enim dicitur hæc resolui in sulphur & hydrargyrum formale atque perfectū, sed in materiam quandâ, quæ sulphuris & hydrargyri qualitates plerasque retinens, satis indicat formam præcessisse horam fossilium: sicut homo occisus cū est, & iam cadauer ferè dissolutum corruptione, indicium facit sc-

Georg. Agricol. de re Metall

q Auicenn. episto. ad Hazon. Geber, Lullius, & alii, vide Lacin d. lib. 1.

p Plato in Timæo, & ibi Pricl. & Calchidius. Arist. l. 3. Meteor. in fi. Theophr. l. de lapid. Ianus Lacinilius Meteor. l. 1. Chemica art. c. 13. Albert. l. 3. de reb. metal. r. l. c. 2. Con-taren. l. 3. philosp. c. 6.

tor,



tor, corpus illud carneum fuisse, aut quod similius, cum salem vel saccharum in aliquod ferculum dissoluis, sapor indicat, substantiam illarum rerum condimenti huius materiem fuisse: & odor aquæ distillatæ, satis apertè docet, quæ herbæ distillatæ fuerint. præterea non est necesse res omnes resolui in proximam suâ materiam: nec corpus resoluitur in semen: sed sufficit resolui in materiam remotiorem, siue elementarem. Ad vltimum itaque argumenti membrum dicimus: metalla resolui immediate in illa sua principia, quando alterantur, & per alterationem definunt videri talia metalla, & fiunt quid liquidū, vel aridum, retinens principiorum illorum qualitates multas; & cum hoc fit, tunc quodammodo resoluuntur iterum in corpora simplicia seu elementaria, nempe in liquidum, humidum & terreum pingue: sicut etiam paulatim, per varias alterationes pyrotechniæ, principalia illa proxima in istud vel illud metallum coaluerunt.

Tertio argumentantur: fundamenta Chymicorum, si penitus inspiciantur, vel falsa esse, vel prorsus dubia: & proponunt, ac impugnant sequentia: quibus figillatim ac ordine solutiones adiungam.

Primum ergo adferunt illud Rogerij Baconis; *licet natura potens sit, & mirabilis: tamen ars, viens natura pro instrumento, potentior est virtute naturali.* Hoc ergo videtur esse falsum, tum quia nihil potest ars humana, quod vires superet naturæ (quæ nihil est aliud, quam ordinaria Dei in creaturis dispositio): quare si quis effectus producit, quia naturam rerum superet: ille non humanus, sed vel diuinus, vel prodigiolosus est. tum quia omnis ars mechanica naturæ, vt basi, insistit, & eam imitatur, nec suis potest conatibus operum

A naturæ perfectiones adæquare. Nam verissimè Fabius, ita scripsit; *imitatio, quæ ars est propria, nunquam tam feliciter naturam exprimit: quin inter hanc & illam semper aliquid intersit. ipsaque veritas pluribus parasangis sua sequentem vestigia hypocrisin post se relinquat* (S) qui neget iubendus agri lilia cum veris, Dedali volatum cum alitibus comparare, & cum Praxitelis aut Phidiæ caballo hostiles manus effugere. *Resp.* Comparationem naturæ & artis institui duobus modis posse primo præcisè ac nude sola cum sola conferendo. vnumque alteri, siue vtriusque potentiam, seorsim inuicem & mutuo componendo, hoc si Baconus voluit, vt inde fornaculis suis ea tribuat, quæ naturæ denegata; fateor omni illum reprehensione dignissimū fuisse, & argumentum contrarium solide probari. Altero vero modo possunt ista comparari, non præscindendo vnum ab altero, sed extensue; verbi gratia artificium humanum cum ipsa natura; qua in comparatione, artificium præsupponit naturæ vim plus autem posse artem natura subnixam & adiutam, quam possit natura sola plurimis patet experientijs. sic enim naturalis operatio, iuuatur, acceleratur & perficitur per humanam industriam & artem: quod voluisse dumtaxat Rogerium eius verba indicant, & verissimum est.

Secundo reprehendunt quod dicitur à Chymicis, vnicum esse perfectum metallum, siue vnicam metalli speciem (aurum) cætera metalla dumtaxat esse auri inchoationes: & ideo tam facile metalla reliqua ad aurum, naturalem suam perfectionem, reduci; quam homo ager ad sanitatem, & ouum ad pulchrum. Hoc illi triplici ariete sibi, nō tam quaterere, quam subruere videntur: & ita mihi quoque aliquando vitum: nunc

lib. 3. in-
cit. orat.

r. li. de mi-
rabilib.
potestat.
artis &
naturæ.

maturius re perpensa, video illa ipsa, quæ tum attuli argumenta; ut obfessi solent, faccis laneis, arietis impetum infringere: posse commoda explicatio-
 ne exarmari, & eneruari. Arietes isti tres erant triplici testudine contexti. Primus petitur à definitione metalli, quam Geber, Petrus Bonus, & multi chymici admittunt: *metallum, est corpus fossile, durum, & naturam suam seruans, à malleo dilatabile.* Sed hæc tota definitio æquè conuenit argento, & plumbo, ac auro, æquè ergo sunt metalla, atque aurum. *Respond.* differentias rerum essentielles, præterquam hominis, nobis esse ignotas: ideo nos cogi definitiones formare ab accidentarijs differentijs, quæ possunt sæpè communes esse pluribus; quæ probabiliter videntur specie differre, veluti si definias canem, certè definias per proprietatem latratus, hyena tamen hunc imitatur, quæ canis non est: & sic totum istud congestum, canis est animal irrationale, quadrupes, velox, latrabile, conueniet etiam hyenæ. nam & illa erit, animal irrationale, quadrupes, velox, latrabile. Nemo tamen inferat canis nomen hienæ competere, vel hienam æquè canem esse: sed potius inferendum, quiddam in hyenâ reperiri, quod in canem sit perfectius. Sic dico definitionis huiusmodi accidentariæ conditiones in singulis metallis inuentas, non conuincere singula hæc quibus conueniunt metalli species esse. Nam hæc non est conuenientia generis in substantia, sed dumtaxat quasi generis in accidentibus. Specificæ namque differentiæ ab essentia rei sunt desumendæ. Quare ut aduersarij probent à definitione, identitatem genericam; necesse est, prius probent, vel simul, & consequenter probent, præsentiarum specierum differentiam essentialem vel

A quid ei quodammodo æquipollens; v. g. Homo & equus species sunt sub animalis in genere, id probari nequit eo dumtaxat, quod animalis definitio, quæ tamen essentialis est, conueniat, vtrique (sic enim conuenit Petro & Paulo, & tamen P. & P. specie non differunt) sed probari præterea debet, quia homo est rationis compos, equus non est. sic etiã quod aquila & leo differant specie, non probandum tantum eo, quod ratio generica illis cõperat, sed etiã, quia vtriusque essentia diuersa est, cū vnum sit volatile, aliud bestia seu gradiēs. Sic igitur, non quia hæc definitio eadē quæ auro, competit argento: ideo hæc duo specie distinguuntur: sed sequitur solummodo ambo hæc metalla esse: argentum quidem imperfectè, quia potest perfici, aurum perfectissimè, quia nequit in metalli ratione perfici. In fani iuxta ac viro cõuenit hominis definitio, vt & vitulo ac boui animalis: sed infans adhuc perfici & definitionis, membra perfectius potest participare: non tamen infans & vir sunt hominis species: idem de alijs metallis, & auro statuendum, nam alia illa natura ad hoc instituit, vt queant ad auream perfectionem progredi.

Verum hic nouæ suboriuntur difficultates, noui scopuli asurgunt. dicat enim aliquis, hinc sequeretur; naturam sic sæpius à scopo suo aberrare, quàm finem suum consequi. quod conuicium ferretur in Deum. Naturæ quoque aberrationes de suis inferioribus, more specierum, non solent prædicari, quia natura non multiplicat rerum imperfectarum indiuidua, vt videmus monstra sterilitatis damno multata, hæc autem metalla de suis indiuiduis rectè prædicantur; vt argentum de hoc vel illo. *Respond.* Non aberrat à scopo suo natura, quia finis eius est, rerum varietate hunc mundum ornare: & perfectiora

vult esse rariora. fit autem hominū avaritia, qui metalla effodiunt priusquam ad debitam perfectionem perveniāt; ut minus auri sit, quā cæterorum metallorum. Sicuti quia vituli plerique occiduntur à lanionibus, idcirco pauciores boues existunt: si his parceretur, boues fiant; si illis abstineretur effodiēdis, paulatim aufererent. Enunciandi verò ratio, quædam est specierum, siue generica; quædam verò merè accidentaria. Monstrorum de inferioribus attributiua enunciatio accidentaria, potest æquè locum habere, ac argenti, auri, &c. sicut enim dicas rectè, hoc vas est argentum, sic etiā rectè dicas, Gorgo, est monstrū; sphinx est monstrum: & sicut etiam dicas vasis huius essentia est stannea, vel materia eius est stannū; nihil prohibet quin verè dicas, pygmæus iste est monstruosa, vel substantia huius pygmæi est monstruosa. Sed parū hæc ad rem quæ de prædicatione. Quia reuera, nō quicquid imperfectum adhuc est, eo nomine monstruolum est: maxi mē si aptum sit perfectionem suam recipere, pullus in ovo non est monstruosus, vitulus non est monstruosus, infans nō est monstruosus, quia hic ad virum, ille ad bouem, ille ad gallinaceum tendit; etiam sunt potestate, quod actu futuri. idem de metallis alijs ab auro dicunt Chymici. Sterilitate dānata sunt tantum monstra perfectorum animantium; non insectorum, non inanimatorum. Atque ita ruit hæc replicatoria machina.

Secundò contendunt aduersarij proximam metallorum omnium materiam eādē esse non posse, sed vniuscuiusque speciei debere esse materiam proximam diuersam, quod etiam nonnulli Chymici fatentur, et probatur: quia diuersæ specie formæ eandē specie materiam nequeunt informare: ut de anima humana & equina patet, qua-

A rum neutra corpus alterius apta est informare videretur alioqui, vetus illud delirium stabiliri posse: *omnia ex omnibus, siue quodlibet ex quolibet gigni*: & sic, si remotæ materiæ sufficeret identitas, posset vnus Alchimicus alterum, in Apuleium illum, vel Lucianum auritum transformare. *Respon.* Animas animalium perfectorum requirere corpora organica, certis perfectè modis disposita: animas animalium imperfectorum, ipsas quoque; quia ex materia educuntur, requirere suam & propriam minùs tamen perfectam, organorum corporis composituram, quæ compositura, siue (ut dicam) organizatio, de illius indiuidui essentia est. Inanimas verò res dumtaxat censeo requirere, materiam illam communem, & præcipuè constantem partibus homogeneis, eisdem esse & perfectiùs dispositam, ad plumbi, stanni, argenti vel auri formā: quia formæ istæ, non ad composituram vel organorum fabricam, sed ad qualitatum primarum maiorem minoremue participationem, consequuntur. Si plus habeant terrenæ admixtionis, fiet ferrum, æs, plumbum; si plus aerei liquidi, fiet stannum, argentum, aurum. Conatur quidem natura semper aurum producere; sed, cum nequit eò mineralis decoctio pertingere, contenta est aliorum metallorum generatione pro modo virtutis & materiæ proximæ dispositione. Si non satis multum adsit sulphuris subtilis ac rubei, adsit tamen satis hydrargyri subtilis & alibi; fiet argentum: si verò vis sulphuris excedat, & vnctuosum illud liquidum omni sit ex parte probè defæcatum, produceret aurum.

Tertius illorū aries erat. Numquā conquiescere naturā, sponte sua: sed moueri & moliri donec perfectionem suam

Richardus Anglicus in Correctorio, & Jo. an. Braccus contra Tauladanū.

fit indepta; metalla verò hæc apparere omnibus, etiam præfente caufa efficiente, in venis fuis conquietcere, nihil follicita, vt in aurum transformetur. licet enim centum annis illic permaneat non impedita, numquam tamen magis illa aurefcunt, fed in fuo ftatu permanent, ferrum, plumbum, argentum. Si fic igitur quieta iacent, fuam nam naçta funt perfectionem. *Respondent* Chemicæ & benè respondent, nos hanc commutationem deprehendere non poffe: fed cur nequeamus, incredibilem reddunt rationem: quod ad alterius metalli in aurum metamorphofin millenarium annorum tempus requiratur. Quis hoc illis de finitum tempus reuelavit; quis credat cum ad cæterorum metallorum perfectionem, curfus viginti vel triginta fufficiat annorū? Maior ergo in auro formando mora, fed non tot feculorum admittenda. Sicut autem herbarum & arborum incrementa non cernimus dum crefcunt: fed creuille deprehendimus: ita latens eft alteratio hæc & commutatio metallorum: quæ, non, dum fit, fed dum facta eft; cerni potest: quod, verò illam non cernimus, impatientia fecit & cupiditas, dum malunt homines præfens lucrum minus capere, & quale eft metallum effodere: quàm fpem pretio redimere, & illam tam longinquam opperiri tranfmutationem. Sed cur ad hanc, fornaculis & follibus fuis fe triennio peruenire poffe Fanianus & alij gloriantur, fi non nifi luftris aliquot exactis id potest natura? caufam puto, quia in terræ venis plus liquidum humidum affluit, & calor quoque agit leniter ac paulatim: hinc in chryfollo, nihil affluit liquidum: quare quicquid refiftit, & reuocat curfum efficientis caufæ, id facilius hic abfumitur: ignis quoque eft continuus, & non impeditus, & quantum po-

A test vrget. Præterea nonnunquam aliquid auri maturi & perfecti artifices admifcent, vt fic ars adiuuans naturam, caufa fit velocius reliquum conuertendi, vt notat Treuifanus, *libr. de tranfmuratione metallorum ante medium*. Ex his apparet admodum probabilem effe fententiam Callisthenis, Alberti Magni, & Chemicorum, vnicam effe perfectam metalli fpeciem. *p* Sed pergam effe liberalis ac comis: esto fpecie differant metalla, quid tum? fpeciei (inquiunt) in fpeciem quæ nõ fit alteri subordinata immutatio impoffibilis eft natura. Nos mox non effe impoffibilem ostendemus. Nec ad rem facit illud de fubordinatione. Reuerà enim multorum commutatio ostenditur, quæ fic fubordinata non funt: & fubordinatio ifta eodem modo potest intelligi de plumbo & auro, ftanno & argento: quo illi de his intelligunt, quæ in tertia feçt. producemus.

Quantum argumentum eft, ars ifta nequit veras gemmas transformare in gemmas alias veras. ergo nec metalla potest in alia. *Respond.* gemmas, fi quæ funt liquabiles, poffe ad maiorem fortassis redigi perfectionem: non, tamen in alias diuerfæ fpeciei mutari poffe, quia non potest ignis quemlibet inducere colorem: nec gemmæ ad gemmam ea cognatio eft, quæ metalli ad metallum. Gemmæ verò pleræque vel potiùs omnes, quia lapidum ex genere funt, etiam funt illiquabiles: quia non habent humidum vnctuosum, vt metalla: fed aqueum, quod igne diffatur. *x*

E Vltimò obijciunt, non dari caufam fufficientem, quæ hoc operetur: cælos enim naturaliter hæc metalla in venis producere per calorem, & frigus: non qua calor ille vel frigus qualitas tantum eft, fiue calor aut frigus: fed qua eft organum ac instrumentum cælorum, in

cuius

Alb. Magni lib. 3. de metallis tract. 1. c. 7. Gebri, Rosarij, Vannocij. Birinucci, & alior.

x sic Alb. Magni in 5. Metap.

cuius virtute agit. hic verò nec frigus adesse in Chemica operatione: nec calorem operari vt instrumentum agentis principalis, quia hic non adest agens principale. *Respondeo*, de frigore iam diximus. de calore verò dico hunc agere vt instrumentum ignis; & esse eiusdem speciei cum calore cælesti seu elementari. Agens autem principale est semen auri iplis metallis insitum: quod semen calore fouetur, & adolescit in aurū. Probatio verò huius, non incumbit alia, quam ab experientia, ad quam alchimici solent prouocare. solemus enim à posteriore probare vim seminis alicui rei insuisse, cum genitum ex eo aliquid & ex potentia eius in actum deductum cernimus. Denique conclusio nostra dumtaxat exigebat, nos ostendere naturæ rerum hanc non esse contrariam Chrysopeiam, neque id argumenta aduersariorum conuincere. quod puto sufficienter ostensum à nobis. Hæc de primo axioma.

SECTIO III.

De eadem efficacia.

SIT 2. axioma, longè probabilius est, posse alchimicam artem finem suum consequi, & alia in aurum igne transmutare: quàm non posse.

Dico esse probabilius, quia reuera id non probatur apodicticè, sed tantum topicè. sic tamen, vt moraliter ferè conuincant rationes.

Primum argumentum, quo conclusio probatur, pendet ex supradictis, quia contraria negatiua habet argumenta non concludentia, imò nec admodum vrgentia.

Secundum, quia multarum rerum causæ naturales nos latent, & potest hæc esse de illarum numero: multa quoque fiunt naturaliter, quæ quis, propter

A causarum ignorationem, si facta certò nesciat: vel neget facta, vel non facta naturaliter, contendat.

Tertium, quia Magorum illa industria, quia mutarunt angues in virgas, & è conuerso: iuxta D. Augustinum a naturalis mutatio fuit mirabilior tamen est hæc, de qua nos agimus.

B Quartum, quia calor ignis vim habet transformandi metalla per varias alterationes, liquationem, separationem, congregationem, & alias huiusmodi: sicut & calor natiuus, cibum potest variè conformare, priusquam augeat & incrementum præbeat ipsi alito. nec minus est miranda illa cibi, puta pomi, in carnem: quàm hydrargyri in aurum commutatio. Denique singulas illas alterationes consideres: quas Chrysopei requirunt, etiam qui plurimas: nullam inuenias, quæ vices ignis in materiam dispositam agentis excedat. cedo enim quæ illarum? quod si singulis par, cur non successiue omnibus, cum eius vis non retundatur, suggestis semper nouis fomentis?

C Quintò, persuadere id debent intellectui non malè disposito, cum variæ similes experientia, tum plurimorum id se consecutos asserentium assertio. hoc posterius probabo sectione sequenti: prius verò probatur, ijs quæ fusè retulerunt Scaliger b & Benedict. Perer. c primùm ars potest gignere vespas, scabæros crabronesque ex cadaueribus, & ex stercore animalium: immò & scorpiones, ex herba Basilico rite posita & collocata certis locis: sed viuentia hæc sunt excellentiora metallis: poterit igitur & metalla. Dices in his hominem arte tantum materiam materiæ apponere, cætera naturam per putrefactionem & calorem solis producere: Verum in nostro quoque casu. manum tantum homo adhibet, cætera calor ignis

a libr. 3. de Trinit.

b exercit. 23. c quæst. de alchim. lib. de Magia.

d cap. 4.
d, lib. de
re metal
lica.

e Scal. f.

f h. 33. c. 6.

f b. 2. ad
Glancum
ap. 7.

in materiã efficit, & quæ in eius potentiã latebant, educit. 2. aurum ex auripigmento produci arte Plinius auctor est, vt diximus, si dicas auripigmentum venam esse auri sterilem ac inopem, hoc est aurum imperfectum, vt ait Fabianus: d hoc, vt dicitur sine probatione, negari quoque potest. Nam plus videtur differre ab auro, quàm cuprum: nam cuprum metallis annumerandum, illud verò potiùs coloribus ac tincturis. 3. ex ouis e calore fornacis Cayri solent pulli educi, non secus quàm fœtu matris: cur non & hic fornax suppleat vteri terræ vicem? si dicas, ouum natura ordinari ad pullum, & esse pullum potentiã: contendunt alchimici idem esse plumbum auri respectu, imò & argenti; ideoque solere hæc metalla iuxta inuicem reperiri. Sanè Plinius dicit f venam plumbi, quæ vicina solet esse & contigua venæ argenti. vocari *galenam*. Sed & ouum quoque magis differt à pullo, quam inter semetalla. 4. Naturaliter videmus multos vermiculos mutari in volatilia, vtpote muscas: & tamen reptile & volatile, plusquam specie distant. 5. vt natura producit salem, bitumen, & atramentum: sic etiam illa nobis artificum exhibet industria. Si dicas specie differre hæc ab illis: contra vrgebo: cum eadem habeant qualitates (quod docet experientia) non magis differre, quàm pulli quos fornaces Cayri produxerunt, à pullis adpectoratis à matre. 6. Plinius auctor est triticum & siliginem in inuicem commutata, dices, solis accidentibus ea differre, eademque fuisse specie? Galeni quidem sententia videtur, sed multis id non probatur, esto tamen: hoc si verum, quid ad 7. Nam Theophrasto lolium quoque in triticum fuit mutatum: loliumne hoc siluestre triticum fuisse dicent? quo autore? scimus enim quid inter triticum & lolium in-

A terfit. 8. calchitim in misij mutari, satis notum est, verisimilius etiam ea specie differre. quàm idem esse. 9. lapidescere ligna, si in fontes certos incidant: norut Arduennæ, & lignum sit caudexque, qui neget. Bene est non negant aduersarij: Sed hanc dicent fortè commutationem in deterius, viuentis nempe ligni, in lapidem vitæ expertem: mortem hanc esse quandam ligni. faciliùs res degenerare quam meliorentur. Vrgeo, etiam meliorari. nam in Scotia ex putridis nauium fragmentis, & ex arborum fructu in mare deciduo (res est vulgo notissima, & probabitur libro sequ.) gignuntur anates. Si tam admirabilem effectum transmutationis aqua nobis exhibet: cur ignis efficacitati, cuius maior longè vis est in agendo, malignè detrahimus? Herodotus etiam scribit platanum in oleam vertisse: & alij cadauera, in statuas salis, de quopura dicam l. 2. q. 18. in fine.

Denique notissimum est posse saltem demones producere, per applicationem naturalium agentium, non modò res inanimas, sed & animalia imperfecta quæcumque ex putrefactione nascuntur: b multò igitur faciliùs poterit metallum vnum, in aliud eadem applicatione commutari. quia longè minor est metallorum differentia, quam inanimi & animati. Sed Diabolus nullum huiusmodi effectum producere potest, qui naturæ vires superet: vt constat: alioqui posset vera edere miracula. ergo effectus huiusmodi naturæ vires non superat. Igitur potest fieri vt vel docente Diabolo, vel industria & studio tandem homo ad hanc cognitionem pertingat.

b Est Sco
ti Lyche
commu
nis in 2.
li. 7. rel.
3. & pro
ab. li. 1.
1. 14.

SECTIO IV.

An aliqua narratione constet aurum hac arte factum?



VLLVM aduersarij fortius telum intorquent, quam ab experientia, cur igitur, inquit, nullus hactenus effectum consecutus? cur omnes oleum & operam perdidere? nonne moraliter hinc colligimus. id esse impossibilibus annumerandum 2. quia, quaecumque adferuntur experientia, nituntur testimonijs ipsorum chymicorum, quibus minimè credendum: tum quod in causa propria, tum quod mendicitas & paupertas fidem detrahat, tum quod spe fascinati & imaginationis vehementi apprehensione, putat esse aurum, quod non est, vt ait pontifex Ioannes 22. a. 3. quia possunt esse operationes, vel fraudulentæ & deceptoræ, vt fuit Bragadini Veneti Alchimia: qui in Bauaria supplicio affectus anno 1591. coram omnibus imposturam suam confessus fuit: se ex auri ramentis pulueribusque quos mixtos carbonario pulueri habebat, aurum suum liquasse. Quare cauendum ne lectorem decipiat deceptus ipse Villamontius, pertinaciter defendens, verã fuisse & sinceram Anton. Bragadini Chrysopœiam: cum enim illa scriberet, nondum dies fraudem huius Ciprij plani aperuerat. Vide qua de illo Villamontius itinerarij lib. 3. c. 28. vel possunt esse prodigiosa, dæmone faciente. 4. quia hanc artem nemo vnquam calluit: quod patet, eò quod nemo se vnquam dixit vltimum eius effectum consecutum: nemo etiam verbis vel scriptis eam alios docere potuit. His illi pugnant.

Sit conclusio. De facto aliquos hac arte

A verum aurum fecisse, videtur esse valde credibile.

Probo, quia tot ea de re narrationes sunt diuersorum, vt videatur procacis animi & perfrictæ frontis, nulli credere. adscribam quæ nunc mihi ad magnam. Cælius Rhodiginus auctor est, b suo tempore in Gallia quendam ex infima plebe hominem, mirè sagacem, modum excogitasse, quo chrysulcæ & quæ vi, ex metallo quolibet aurum fecerneret: & addit tales artifices vocari Chrysoplintas, officinam verò Chrysophisum. De Arnolde Villanouano referunt grauissimi Iurisconsulti, c cum

virgulas aureas chemica arte produxisse, quas omnium examini subiecerit in aula Pontificis, & ideo concludunt chemiam veram esse scientiam. Obijciunt, Arnoldum fuisse valdè suspectum familiaritatis cum dæmonibus: d & ideo vel dæmonem hoc verè fecisse, vel saltem verum aurum supposuisse. Respon.

has esse maliciofas coniecturas. Si suspectus Arnoldus, quomodo non in Romana curia, vbi assiduus erat, comprehensus, vt maleficus, & castigatus? mera autem coniectura est, dæmonem verum aurum supposuisse. Alij dicunt examini subiecerit, hoc est obtulisse: non verò quemquam veritatis periculum fecisse, primùm explicatio illa verbo non congruit, deinde quis credat illo offerente aurum ad examen, neminem Romæ periculum fecisse; ego verò, inde; quod non scribitur ab auctoribus illis falsum aurum deprehensum; probabilius crediderim experientiam Arnolde suffragatam. Sanè id confirmat quod de ipsius cum Raymundo Lullo concertatione auctor Theatri humanæ vitæ tradidit, Raymundum hunc Balearicum, hominem acutissimum, multis rationibus demonstrasse Villanouano artis huius

D

E

libro 11. cap. 13. 10. And. in additū ad Specu. titu. de crimin. falsi. Old. cōli. 74. de sortil. Abb. in c. ex tuarū de sortil. & ibid. Bald. Ioa. Platean. in l. 1. C. de argenti. prec. quod in thes. infer. libr. 10. d Penna. Com. 36. ad 2. p. Direct. Eymerci 9. 11.

vol. 20. lib. 3.

ἀδυναμίαν, tum Arnoldum disputandi
 pertasum; quin potius, inquit, te sensu
 craftinā conuincam die: quæcum illu-
 xisset, metamorphosim illi oculatā ex-
 hibuit fide: qua ille motus, hanc ipse ar-
 tem amplexus, multa de eadem scripsit
 opuscula, ante annos ferè 250. De hoc
 Lullo scribit quidam nostri temporis
 medicus: non alchimista, f. Hunc
 ego inquirendo comperio apud Anglos, re-
 quidem vera præstitisse, quod suis libris
 profretur: & in arce Londini, iussu Regis
 probatissimum aurum confecisse: mihique ge-
 nus nummi ostensum est, quod adhuc appel-
 lant Nobile Raymundi, auri scilicet puri &
 obryzi, sionneque indicatura. Idem au-
 ctor Thesauri, hoc etiam narrat de
 Bernardo Treuisano; eum cum initio
 frustra magnas opes in hac Chryso-
 plyntica prodegisset, tandem accura-
 tior studio consecutum, vt bien-
 nio artem in opus, spem in rem, dedu-
 ceret. Hieron. Cardanus testatur, g
 Antonium pharmacopolam Taruili-
 num, coram And. Gritto Duce, & præ-
 cipuis patricijs Venetis, argentum viuū
 in aurum commutasse, & eius operis
 quedam adhuc existere vestigia. Hoc Iu-
 lius Scaliger, in contradictoria exerci-
 tatione, eludit potius, quàm dissoluit,
 dicens; si hoc verum aurum fuisset, Ve-
 netos eum fuisse Coacturos Reipublicæ
 operam hanc nauare, vel artificium in-
 dicare. Quis enim Scaligero indicauit,
 Taruisinum eis non indicasse? sanè cre-
 diderim Venetos, vel incerti euentus
 spem contempsisse, vel præstigijs effectū
 adscripsisse. Tu, Lector, ne idem sentias,
 accipe testimonium aliud eiusdem rei,
 vt in Cardani & Aragoij fide, hoc ex-
 perimentum stet. Guilielmus iste Ara-
 gosius, vir philosophiæ & medicinæ ap-
 primè peritus, studiorum causa degebat
 Patauij: semel, anno 1550. Venetias
 excurrit, & honoris causa Hectorem

A Aufonium, mathesis & medicinæ laude
 clarum, inuisit: ibi cum intra alia Al-
 chemicæ aurificæ mentio fieret, eam-
 que Guilielmus solidis, vt ipsi tum vi-
 debatur, argumentis subrueret: Au-
 sonius in sequentem diem conuentum in-
 dixit, eoque tres patricios Venetos, è nobi-
 lissima Corneliiorum gente adductos: ex eo
 auro, quod Taruisinus spectantibus patribus,
 hoc est, celeriter, non magna interposita mo-
 ra, momento fecisset, confectos annulos spe-
 ctandos contrectandosque exhibere cura-
 uit. Ipse deinceps Aragosius Taruisinum excur-
 rens, historiam facti didicit. Narrabat ille à
 Gallo quodam, Aragosio facie simillimo, do-
 mi sua per aliquot menses hospitaliter accep-
 to, eum se puluerem honorarij loco accepisse,
 sed vt eo tanquam arcano vteretur. Si verò
 non tam priuati commodi, quam publica fi-
 dei erga Rempublicam Venetam studio, eo
 infcio, Venetias nauigasse, rem patribus indi-
 casset: specimen artis exhibuisse: priuatim quo-
 que in Corneliiorum adibus non semel. Inter-
 ea verò Gallum illum in salutatis omnibus
 discesse, neque se quidquam de eo amplius
 rescire potuisse. h] Vides causam cur ve-
 neti non vrserint Taruisinum, & quàm
 inanis illa magni viri, sed sæpè iniqui
 Cardanomastigis, suspicio. Fortassis
 eadem arte apud Cedrenum ille frenum
 aureum consecrat, quod Anastasio
 Imperatori obtulit: sed videtur iste
 præstigiator potius fuisse quam Chy-
 mista, post primam operis huius editi-
 onem incidi in librum And. Libauij
 medici, qui p. 1. singularium, Syntaxi 11.
 de re metallura, plura testimonia retu-
 lit.

E Nunc ad obiectiones respondeamus.
 Ad primum; multos ego commemo-
 rau, quos non Chemici tantum, sed &
 medici & I. C. grauissimi testantur rem
 ipsam factam exhibuisse, Arnoldum,
 Lullum, Taruisinum. Et hodie nomi-
 nare possem, quos noui viros graues, in

dignitate

f. R. C. in
Nomen-
clarore in
signium
scip.

opere de
utilitat
li. de me
calis.

b Thesau
vita ho
su. Omit
to quod
de se si-
milia Fe-
nelius te-
stetur. lib.
de abd.
ter. cauf.

dignitate positos, & Deum timentes; qui de se ipsis idem profitentur. Quos mentiri, vel imposturis, aut præstigijs, aut dæmoniis artibus uti, nunquam in animum meum possim inducere: & sint iniurijs viris honestissimis, qui queat id suspicari. Ad 2. dico. Põt. loqui de gregalibus, siue fece illa Chemicorum, qui lucrum captant, & auiditate pecuniæ in præceptis ruunt: non de ijs qui honestam inde rerum naturæ cognitionem dumtaxat petunt. Nec verum est, nullos nisi mendicos vel pauperes huic studio incumbere; quod Principes viri multi non fugiunt, nec etiam paupertas omnino à testimonio arceret: sed tantum; quàm vilitas aut vitiositas vitæ dehonestat. Phocion pauper erat: plus illi tamè iniurato, quam iurato Paridi credidisse Testimoniū in propria causa rejicitur, sed hic testimonium dixere scriptores, qui non erant Alchimistæ. acceperant illi quidè hoc ab Alchimistis. sed alchimici dicta sua, factis probarant. Nec sanè domesticum testimonium, ut nec alia alias inidonea, rejiciuntur, quando aliunde testimonia habere non queunt. *b* Et quæso, vnde hic initium historiæ haberi potuit, nisi ex ipsorum artificū dictis & relatione? Ad 3. posse aliquando esse tales, & fuisse: hinc tamen non sequi, nullas non fuisse tales. Ad 4. multos hanc artem verbis scriptisque prodidisse, & hodie eam tenere & alios docere, si qui contingant in praxi errores, nihil mirum: quia facillè peccatur in ijs, quæ ab ignis operatione dependent. Nec vllius artificis est, in ijs, quæ ab aëciuitate extrinseci agentis naturalis pendent, securum semper effectū spondere. Nec vlla quoque ars alia, in qua quis mente sana perfectionis vltimum apicem se consecutum asseueret. semper aliquid discendum superest: neque

A hoc huic arti peculiare, quod opponitur.

QVAESTIO II.

An Chrysopeia habenda ex numero artium ingenuarum, an mechanicis annumeranda?

B  Acilis est decisio, nihil in ea mechanicum esse præter ipsam operationem, & ignariam illam applicationem: Theoricam verò siue speculationem artis ipsius physiologia, in remotissimis latebris latentem, æque ingenuam, æque scientificam esse natura sua, quæ sit physica: cuius est portio non ignobilis: aut medicina, cui subseruit & ancillatur: eoque nomine acroamaticis & epopticis disciplinis annumerandum. Si verò consideres ipsos Alchimistas, quidam illorum meri sunt mechanici, & flatu rarij, ac cinifiones: quidam verò philosophorum nomen honestum in primis ac laudabile, iure suo sibi vendicant. Etsi enim omnis Alchimista ingenio simul ac manu, utatur: tamen id omni mechanico artificio communit est, & manus præcipuam operis partem in illis vendicat: qui, principia causasque artis ignorantes, nec certum in rebus præparandis vsum, iuxta præcepta congrua & scientifica adhibentes, tempus & carbones absumunt; fuliginosi itaque & merè mechanici dicendi sunt. Sed qui in oleis, & aquis, & gummis, & auro extrahendo, causas & præcepta artis norunt: quibus freti effectum sibi pollicentur: si, etsi manum ingenio, & operationem speculationi adiungant: non mechanici, sed philosophi dicendi: operatio enim illa, & manuum auxiliū, accidentaria sunt scientiæ: ut in medico, & chirurgo satis est manifestum.

C

D

E

K

QVAE

*b. Pet. Ge
rat. sing.
300. Hip.
vol. sing.
71.*

he
e ho
Omir
quod
e si
ia Fe
ius to
ur lib
abd.
caul.